

PONTIFICIUM CONSLIUM
DE LEGUM TEXTIBUS
INTERPRETANDIS

COMMUNICATI^NE

VOL. XXIV - N. 1

1992

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 1

IUNIO 1992

Semestrale

Sped. Abb. Postale - Gruppo IV - 70%

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

ALLOCUTIONES

Allocutio Summi Pontificis ad Iudices, Administratos Advocatosque Rotae Romanae coram admissos	3
Allocutio Summi Pontificis ad quosdam sodales "World Jurist Association of the World Peace through Law Center" coram admissos	7
Ex Allocutione Summi Pontificis ad eos qui XXXV annuali Conventui "Canon Law Society of Great Britain and Ireland" interfuerunt coram admissos	10

ACTA CONSILII

Praecipuorum actorum conspectus	13
---	----

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

SECRETARIA STATUS

Rescriptum ex Audientia Ss.mi, quo Ordinatio generalis Romanae Curiae foras datur	17
---	----

CONGREGATIO DE DOCTRINA FIDEI

Instructio quoad aliquos adspectus usus instrumentorum communicationis socialis in doctrina fidei tradenda	18
--	----

STATUS CIVITATIS VATICANAЕ

Legge sulla disciplina delle attività di volontariato.	28
--	----

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

I. Coetus studii « De sacra Hierarchia » (olim « De Clericis ») (Sessio VI)	32
II. Coetus studii « De sacra Hierarchia » (olim « De Clericis ») (Sessio VII)	56
III. Coetus studii « De sacra Hierarchia » (olim « De Clericis ») (Sessio VIII).	92
IV. Coetus studii « De sacra Hierarchia » (olim « De Clericis ») (Sessio IX)	128

Opera a Consilii Bibliotheca Recepta	177
Notitiae	179

II

COETUS STUDII
« DE SACRA HIERARCHIA »

Sessio VII
(dd. 2-9 februarii a. 1970 habita)

Diebus 2-9 februarii 1970, in Aula huius Pontificiae Commissionis, convenerunt Consultores Coetus studii « De Sacra Hierarchia » sub directione Rev.mi G. Onclin, Secretarii Adjuncti eiusdem Commissionis Pontificiae. Conventibus intererant: Exc.mi sex et Rev.mi quattuor Consultores. Actuarii munere functus est Rev.mus Herranz, a studiis Commissionis. Aberant, legitime impediti, Rev.mi duo Consultores.

Antequam disceptatio incipiat de quaestionibus in hac Sessione per tractandis, Rev.mus Secretarius Ad. quaerit an quis animadversiones habeat proponendas ad Relationem conclusivam VI^e Sessionis. Nulla fit animadversio ideoque, facta suffragatione, illa Relatio unanimiter approbatur.


Transitus ergo fit ad examen quaestionum quae propositae sunt.

I. DE ORDINE SYSTEMATICO

Rev.mus Secretarius Ad. hunc proponit ordinem systematicum canonum « De Ecclesiis particularibus »:

- Art. 1: De Episcopis in genere
- Art. 2: De Episcopis dioecesanis
- Art. 3: De Episcopis auxiliaribus et coadiutoribus
- Art. 4: De Curia dioecesana.
 - Canones generales
 - De Vicariis generalibus et episcopalibus
 - De examinatoribus dioecesanis
 - De consilio a rebus oeconomicis
- Art. 5: De Consilio presbyterali
- Art. 6: De Consilio pastorali.

De hoc vero ordine proposito non fit disceptatio. Provisorie tantum admittitur. Ordo enim definitivus solummodo statui posse videtur post



tractationem totius materiae de Ecclesiis particularibus, quando nempe diversa schemata canonum quae nunc elaborantur postremae revisioni Coetus submittantur.

II. EXAMEN CANONUM DE CURIA DIOECESANA

Attentis disceptationibus habitis in praecedenti Sessione studii, Rev.mus Secretarius Ad. hoc schema canonum proponit de Curia dioecesana:

(*Praescripta generalia*)

Can. 1 (CIC 363)

§ 1. Curia dioecesana constat illis institutis et personis quae Episcopo aliive qui loco Episcopi dioecesi praest opem praestant in regimine totius dioecesis.

§ 2. Ad eam pertinent instituta et personae quae deputantur ut in potestate iudicali exercenda aut in administratione dioecesis curanda partem aliquam habeant.

Can. 2 (CIC 364, § 1)

§ 1. Nominatio eorum qui officia in Curia dioecesana exercent spectat ad Episcopum dioecesanum.

§ 2. Eorum nominatio scripto consignetur, ad normam (can. 159).

Can. 3 (CIC 364, § 2)

Omnis qui ad officia in Curia admittuntur debent:

1° promissionem emittere de munere fideliter adimplendo, addito etiam iuramento, secundum rationem ab Episcopo determinatam;

2° negotia ad se spectantia debita cum diligentia tractare, ad normam iuris;

3° secretum servare intra fines et secundum modum a iure aut ab Episcopo determinatos.

Can. 4 (CIC 365)

De negotio atque de personis quae in Curia ad exercitium potestatis iudicalis se referunt, serventur praescripta cann. (1573-1593); de iis quae

ad administrationem universae dioecesis spectant, serventur praescripta canonum qui sequuntur.

Can. 5 (novus)

§ 1. Episcopus dioecesanus curare debet ut omnia quae ad universae dioecesis administrationem pertinent negotia debite coordinentur et ad bonum portionis populi Dei sibi commissae aptius procurandum ordinentur.

§ 2. Ipsius Episcopi dioecesani est coordinare labores qui ad exercitium pertinent munerum quae Vicario generali vel Vicariis generalibus et Vicariis episcopalibus sunt commissa; Episcopo autem absente aut impedito, hoc officium coordinationis adimpleat Vicarius generalis qui Caput est Curiae aut qui ab Episcopo ad hoc est designatus.

§ 3. Si id expedire iudicaverit ad ordinatum dioecesis regimen, Episcopus sibi constitutus Consilium episcopale, constans Vicariis generalibus et Vicariis episcopalibus necnec aliis quibusdam personis ab ipso eligendis.

Can. 6 (novus)

§ 1. In unaquaque dioecesi ab Episcopo dioecesano nominetur Caput Curiae, cuius est sub eiusdem auctoritate coordinare labores quae ad universae dioecesis administrationem pertinent, salvo praescripto can. 5, § 2, itemque curare ut inferiores officium sibi commissum rite adimpleant; eiusdem etiam est acta Curiae una cum Ordinario a quo emanant subscribere eorumque, si casus ferat, communicationem publicam prelo aliisve mediis curare.

§ 2. Nisi locorum adiuncta iudicio Episcopi aliud suadeant, Caput Curiae nominetur Vicarius generalis aut, si plures sint, unus ex Vicariis generalibus.

Can. 7 (novus)

Episcopi est curare ut uniuscuiusque Curiae officialis debitae provideatur remunerationi, habita quidem ratione munieris quod adimplent atque, laici si sint, eorundem status familiae, utque etiam eorundem praevidentiae sociali prospiciatur.

(*Praescripta specialia*)

1. *De Vicariis generalibus et episcopalibus*

(Hic venire possunt canones [*septem*] qui de Vicariis generalibus et episcopalibus probati sunt: cfr. *Communicationes* 19 [1987] 124-130; 146-148; et supra, pp. 41-43).

2. *De cancellario aliisque notariis et archivo episcopali*

Can. 15 (CIC 372)

§ 1. In qualibet Curia constituatur cancellarius, qui sit sacerdos, nisi ob specialia adiuncta Episcopus aliter deciderit, et cuius praecipuum munus est curare ut acta Curiae redigantur et expediantur, ut eadem in Curiae archivo custodiantur, ut ordine chronologico disponantur et de iisdem indicis tabula conficiatur.

§ 2. Si necesse videatur, cancellario dari potest adiutor, cui nomen sit vice-cancellarii.

§ 3. Cancellarius necnon vice-cancellarius sunt eo ipso notarii.

Can. 16 (CIC 373)

§ 1. Praeter cancellarium, constitui possunt alii notarii, quorum quidem scriptura seu subscriptio publicam fidem facit, et quidem sive ad quaelibet acta, sive ad acta iudicialia dumtaxat sive ad acta certae causae aut negotii tantum.

§ 2. Notarii assumi possunt etiam laici: notarius tamen in criminalibus clericorum causis debet esse sacerdos.

Can. 17 (CIC 374)

Officium notariorum est:

1° conscribere acta et instrumenta circa decreta, dispositiones, obligationes aliave de quibus eorum opera requiritur;

2° in scriptis fideliter redigere quae geruntur, eaque, cum significazione loci, diei, mensis et anni subsignare;

3° acta vel instrumenta legitime petenti ex regesto, servatis servandis, exhibere et eorum exempla cum autographo conformia declarare.

Can. 18 (CIC 373, §§ 4-5)

§ 1. Cancellarius aliique notarii ut nominentur debent esse integrae famae et omni suspicione maiores.

§ 2. Cancellarii aliique notarii ab officio removeri possunt ad nutum Episcopi dioecesani, non autem a Vicario capitulari (Administratore dioecesano), nisi de consensu Consilii presbyteralis.

Can. 19 (CIC 375)

§ 1. In unaquaque Curia erigatur, in loco tuto et commodo, archivum seu tabularium dioecesanum, in quo instrumenta et scripturae quae negotia dioecesana tum spiritualia tum temporalia spectant, apte disposita et diligenter clausa custodiantur.

§ 2. Documentorum quae in archivio continentur conficiatur inventarium seu catalogus, cum brevi singularum scripturarum synopsi.

Can. 20 (CIC 377)

§ 1. Archivum clausum sit oportet, eiusque clavem habeat unus cancellarius; nemici liceat illud ingredi nisi de Episcopi aut Vicarii generalis vel Vicarii episcopalnis et cancellarii licentia.

§ 2. (CIC 384). Documenta quae in Curiae aut paroeciae archivio sub secreto servanda non sunt, ius est christifidelibus quorum interest inspi-ciendi, itemque postulandi ut sua impensa sibi legitimum eorum exemplum exscriptum aut photostaticum tradatur.

Can. 21 (CIC 378)

§ 1. Ex archivio non licet efferre scripturas, nisi ad breve tempus tan-tum atque de Episcopi aut Vicarii generalis vel Vicarii episcopalnis et cancellarii consensu.

§ 2. Qui aliquam scripturam ex archivio effert, syngrapham sua manu signatam, hoc ipsum significantem, cancellario tradat.

Can. 22 (CIC 379)

§ 1. Adsit in Curia dioecesana aliud archivum, aut saltem in communis archivo armarium seu scrinium, omnino clausum et obseratum, quod de loco amoveri nequeat, in quo scilicet scripturae secreto servandae cautissime custodiantur.

§ 2. Singulis annis destruantur documenta causarum criminalium in materia morum, quarum rei vita cesserint aut quae e decennio sententia condemnatoria absolutae sunt, retento hoc ultimo casu facti brevi summario textum sententiae definitivae exhibente.

Can. 23 (CIC 380-382)

§ 1. Archivi secreti clavem habeant tantummodo Episcopus et cancellarius aliusve presbyter ab Episcopo designatus.

§ 2. Sede vacante archivum vel armarium secretum ne aperiatur, nisi in casu verae necessitatis, ab ipso Vicario capitulari (Administratore dioecesano) eiusve delegato.

§ 3. Ex archivo vel armario secreto documenta ne efferantur.

Can. 24 (CIC 383)

§ 1. Curet Episcopus dioecesanus ut archivorum quoque ecclesiarum cathedralium, collegiarum, paroocialium, necnon personarum iuridicarum publicarum et piorum locorum inventaria seu catalogi conficiantur duobus exemplis, quorum alterum in proprio archivo, alterum in archivo episcopali servetur, firmo praescripto cann. (470 § 3; 1522, nn. 2,3; 1523, n. 6).

§ 2. Documenta originalia ex praedictis archivis ne efferantur, nisi ad normam can. 21.

3. De examinatibus synodalibus

Can. 25 (CIC 385-390)

§ 1. In quavis dioecesi constituantur examinatores synodales, numero de iudicio Episcopi requisito, qui operam praestent in experimentis ad provisiones canonicas requisitis necnon in processibus de quibus in cann. (2147 et ss.).

§ 2. Examinatores constituantur in synodo dioecesana, proponente Episcopo, approbante ipsa synodo, aut, ut substituantur eorum aliqui qui a munere ante synodi celebrationem cessaverint, ab Episcopo, auditio Consilio presbyterali.

§ 3. Examinatores synodales ab Episcopo dioecesano a munere ne removeantur, nisi ob gravem causam, ab ipso Episcopo, auditio Consilio presbyterali, aestimandam.

4. De Consilio a rebus oeconomicis et de oecono

Can. 26 (novus)

In singulis dioecesibus constituantur Consilium a rebus oeconomicis, cui praesidet ipse Episcopus dioecesanus, et quod constat tribus saltem personis, in re oeconomica vere peritis et integritate praestantibus, sive clericis sive laicis, ab Episcopo, auditio Consilio presbyterali, nominatis.

Can. 27 (novus)

§ 1. Huius Consilii a rebus oeconomicis est quotannis rationem apparetare (componere) quaestuum et erogationum quae pro universae dioecesis administratione anno venturo praevidentur, necnon, anno exeunte, rationem accepti et expensi probare.

§ 2. Eiusdem Consilii assensu, eget Episcopus dioecesanus ut expensas faciat extraordinarias, quas scilicet ob adiuncta specialia in ratione erogationum non praevisa admittendas aestimet.

Can. 28 (novus)

§ 1. In singulis dioecesibus ab Episcopo, auditio Consilio a rebus oeconomicis, nominetur oeconomus, qui sit, sive clericus sive laicus, in re oeconomica vere peritus et probitate prorsus praestans.

§ 2. Oeonomi est, secundum rationem a Consilio a rebus oeconomicis definitam, ex quaestu dioecesi constituto, expensas facere quas loci Ordinarii legitime ordinaverint.

§ 3. Anno vertente, oeconomus Consilio a rebus oeconomicis rationem accepti et expensi reddere debet.

* * *

Ad canonem 1 animadvertisunt Exc.mus primus et Rev.mus secundus Consultores, quibus alii accedunt Consultores, Curiae dioecesanae in documentis Vatican II traditam esse notionem magis amplam. Quapropter postulant ut textus opportune emendetur, ne munus Episcopi, cuius Curia uti organum executivum appetat, videatur reduci ad munus administratoris vel iudicis.

Fit parva discussio de hac re, cuius in fine approbatur ut §§ 1 et 2 in unico textu coalescant, cum sequentibus additionibus:

« ... opem praestant in regimine pastorali totius dioecesis. Ad eam pertinent instituta et personae quae ergo deputantur ut in actione pastorali di-

rigenda, in administratione dioecesis curanda necnon in potestate iudiciali exercenda partem aliquam habeant ».

Ad canones 2-3 schematis propositi nulla fit animadversio, ideoque hi canones approbantur uti iacent.

Ad canonem 4. Postulat Rev.mus tertius Consultor ut deleatur verbum « universae », in lin. 3, quia non videtur necessarium. Animadversio recipitur.

Ad canonem 5. Quoad § 3, Rev.mus quartus Consultor censet esse opportunum ut inter membra huius Consilii adnumerentur etiam quidam presbyteri ex Consilio presbyterali. Ita enim vitari potest possibilitas alii cuius oppositionis, saltem psychologicae, inter Consilium episcopale et Consilium presbyterale.

Contrarii vero sunt tali obligationi Rev.mi Secretarius Ad. et tertius Consultor cui alii accedunt, quia salvanda est libertas Episcopi; ceterum sufficiunt verba canonis: « necnon aliis quibusdam personis ab ipso eligendis ».

Ad canonem 6. Fit discussio circa verba § 1 « acta Curiae una cum Ordinario a quo emanant subscribere ». Rev.mus tertius Consultor putat unam tantum subscriptionem sufficere, nempe vel subscriptionem eius qui decretum tulit vel subscriptionem Capitis Curiae. Etiam si Ordinarius non sit Caput Curiae ipsius acta valent absque supradicta subscriptione Capitis Curiae.

Rev.mus quartus Consultor huic accedit animadversioni, sed mavult ut requiratur etiam haec secunda subscriptio ratione coordinationis atque aptae organisationis laboris interni Curiae.

Exc.mus quintus Consultor proponit ut, praeter subscriptionem Ordinarii a quo acta emanant, requiratur subscriptio cancellarii.

His omnibus attentis, proponitur a Rev.mo Secretario Ad., et accipitur, ut, expunctis in hoc canone verbis « acta Curiae una cum ... eorumque », novus canon fiat cuius textus sit:

« Acta Curiae quae effectum iuridicum habere nata sunt subscribi debent ab Ordinario a quo emanant, una cum Curiae cancellario; qui vero cancellarius Caput Curiae de actis certiore facere tenetur ».

Ad canonem 7. Cum de hac materia norma generalis data sit in alia parte Codicis, censent Consultores hunc canonem superfluum esse. Quapropter, facta suffragatione, deletur.

Ad canonem 15. Rev.mi tertius et secundus Consultores expungenda censent in § 1 verba « qui sit sacerdos », ne ita stabiatur quaedam iurisdictio privilegiata pro clericis. Munere enim cancellarii recte fungi etiam potest probatus christifidelis laicus.

Exc.mus sextus Consultor animadvertisit in quibusdam casibus oportere ut cancellarius sit sacerdos, ad tutandam bonam famam sacerdotum.

Ad mentem Rev.mi quarti Consultoris alia formula est ponenda in qua ex una parte non excludatur totaliter ut cancellarius sit christifidelis laicus; ex alia vero parte commendetur Episcopo ut pro casibus specialibus assumat cancellarium qui sit sacerdos.

Denique Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut, deletis in lin. 1-2 verbis « qui sit sacerdos ... deciderit », sequens ponatur textus in fine § 1: « In causis quibus fama sacerdotis in discrimin vocari possit cancellarius debet esse sacerdos ». Item in can. 16 § 2.

Facta suffragatione, haec propositio placet.

Ad canones 16 et 17. Nulla fit animadversio.

Ad canonem 18. Quoad praescriptum § 2, denuo ponitur quaestio de cessatione Consilii presbyteralis sede vacante. Ita statutum est in M.P. *Ecclesiae Sanctae*, sed maior pars Consultorum censem Consilium presbyterale manere debere. Quaestio tamen perpendi atque solvi debet suo loco, in canonibus nempe de sede episcopali vacante.

Ad canonem 19. Nulla fit emendatio.

Ad canonem 20. Proponente Exc.mo quinto Consultore, loco « clavem habeat unus cancellarius » dicitur « clavem habeant soli Episcopus et cancellarius ». Etiam in § 1 approbat, ad mentem Exc.mi septimi Consultoris, ut loco « nisi de Episcopi aut Vicarii generalis vel Vicarii episcopalnis et cancellarii licentia », ponatur: « nisi de Episcopi aut Capitis Curiae et cancellarii licentia ».

Ad canonem 21. Attenta praecedente emendatione, textus § 1 ita mutatur: « atque de Episcopi aut Capitis Curiae et cancellarii consensu ».

Ad canonem 22. Ratione prudentiae, ut nempe praevideantur possibles casus persecutionis Ecclesiae inflictæ, postulat Rev.mus secundus Consultor expunctionem verborum « in Curia dioecesana » (§ 1).

Fit parva discussio cuius in fine approbat, proponente Rev.mo Secreterio Ad., sequens emendatio in initio § 1: « Sit Curiae dioecesanae ... ». Ita enim textus non intelligitur sensu locali, ac si archivum habendum sit in sede materiali officii Curiae.

Ad canonem 23. Postulat Exc.mus sextus Consultor ut in textu § 1 sequens fiat emendatio: « ... cancellarius aliasve sacerdos », quia si dicitur « presbyter » excluderentur Episcopi auxiliares. Placet propositio.

Ad canonem 24. Nulla fit emendatio.

Ad canonem 25. Ipse Rev.mus Secretarius Ad. animadvertisit, iuxta proposita in scriptis quorundam Consultorum, nihil esse dicendum de consultoribus dioecesanis, quia iam habetur Consilium presbyterale. Quoad Consilium theologorum, sicut etiam canonistarum, sermo faciendus forsitan est ubi de Conferentiis episcopalibus, minime vero ubi de Curia dioecesana, quia non possunt imponi huiusmodi Consilia singulis Ecclesiis particularibus.

Rev.mi tertius et quartus Consultores postulant ut loco « examinatores synodales » dicatur « examinatores dioecesani », quia eorundem nominatio non amplius in synodo dioecesana facienda videtur.

Huic animadversioni alii accedunt Consultores, inter quos Exc.mi septimus, sextus et primus, qui proponunt ut examinatores dioecesani « ab ipso Episcopo constituantur auditio Consilio presbyterali » vel « elegantur a Consilio presbyterali inter candidatos ab Episcopo propositos ».

Denique proponitur a Rev.mo tertio Consultore ut nominatio examinatorum dioecesanorum sit ad quinquennium. Eorum enim munus necessaria stabilitate gaudere debet.

Attentis his omnibus animadversionibus, sequens textus emendatus suffragationi submittitur et approbatur:

§ 1. In quavis dioecesi constituantur examinatores dioecesani, numero de iudicio Episcopi requisito, qui operam praestent in experimentis ad provisiones canonicas requisitis, necnon in processibus de quibus in cann. (2147 et ss. hodierni Codicis).

§ 2. Examinatores dioecesani ad quinquennium elegantur a Consilio presbyterali inter sacerdotes ab ipso Episcopo propositos.

§ 3. Examinatores dioecesani ab Episcopo a munere ne removeantur, nisi ob gravem causam, ab ipso Episcopo, auditio Consilio presbyterali, a estimandam.

Ad canonem 26. Proponit Rev.mus Secretarius Ad., et accipitur, ut sequens fiat additio « cui praesidet ipse Episcopus dioecesanus eiusve delegatus, et quod ... ».

Circa modum nominationis membrorum eiusdem Consilii, maiori parti Consultorum non placet formula proposita quia laici periti non vindentur eligendi a Consilio presbyterali (Rev.mus tertius Consultor), vel quia sufficere censemur ut Episcopus consulat tantum eas personas quae eum valide adiuvare possint in seligendis peritis, clericis vel laicis (Exc.mus septimus Consultor).

Non admittitur propositio Rev.mi tertii Consultoris ut nempe loco « auditio Consilio presbyterali » dicatur « auditio Consilio pastorali ». Administratio enim bonorum dioecesis pertinet ad ipsum regimen Ecclesiae particularis, dum functio consultiva Consilii pastoralis respicit tantum labores pastorales.

Dein, et quia res de qua agitur multum pendet a circumstantiis localibus, approbatur sequens textus emendatio a Rev.mo Secretario Ad. proposita: « ab Episcopo, secundum normas ab Episcoporum Conferentia statutas, nominatis ».

Ad durationem Consilii quod attinet animadvertisit Rev.mus quartus Consultor aliquam normam esse ponendam. Item censem alii Consultores, quapropter Rev.mus Secretarius Ad. proponit, et accipitur, ut fiat § 2 cuius textus ita manet approbatus: « Nisi Episcoporum Conferentia aliter statuerit, membra consilii a rebus oeconomicis ad quinquennium nominentur, sed expleto hoc tempore ad alia quinquennia assumi possunt ».

Ad canonem 27. Deletur in initio § 1 verbum « Huius », quia non videatur necessarium.

Quidam Consultores, inter quos Exc.mus septimus et Rev.mus quartus, animadvertisunt, quoad ipsam § 1, textum ita exaratum esse ac si ordinatio totius activitatis pastoralis, per respectum ad res oeconomicas, penderet e voluntate huiusmodi Consilii, quod esset absonum.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. Episcopum esse praesidem consilii. Attamen, ad mentem Rev.mi octavi Consultoris, proponit ut in linn. 2-3 ita emendetur textus: « pro universo dioecesis regimine », quod ex una parte aptius limitat competentiam consilii, ex alia vero parte comprehendit etiam expensas pro missionibus faciendas. Propositio ab omnibus recipitur.

Quoad § 2, approbatur ut loco « faciat » dicatur « ordinet », quia revera Consilium ipsum non facit expensas.

Ad canonem 28. Quaerit Exc.mus sextus Consultor utrum sub verba § 2 « loci Ordinarii » comprehendantur omnes quae in dioecesi sunt Ordinarii, an agatur tantum de Episcopo dioecesano. Prae oculis enim haberi oportet necessaria unitas directiva quoad expensas faciendas.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. hic agi de omnibus qui sunt Ordinarii, sed unusquisque pro materiis ab Episcopo dioecesano sibi commendatis.

Cum tamen Rev.mus tertius Consultor, cui alii accedunt, animadvertisat pericula quae ex hoc oriri possint, quia sunt quoque materiae pro quibus plures habentur competentiae mixtae, proponit Rev.mus Secretarius Ad. sequens textus emendatio: « ... expensas facere quas Episcopus aliive ab ipso ad hoc deputati legitime ordinaverint ». Facta suffragatione, textus ab omnibus recipitur.

Rev.mi tertius et secundus Consultores quaestiones ponunt de amotione oeconomi, qui gaudere quidem debet necessaria independentia personali, atque de unicitate eiusdem oeconomi, quod forsan prudens non videtur.

Ad primam quaestionem solvendam approbatur ut nova fiat paragraphus, quae sit § 2, sub his verbis redacta: « Oeconomus nominetur ad quinquennium, sed expleto hoc tempore ad alia quinquennia nominari potest; durante munere ne amoveatur nisi ob gravem causam ab Episcopo, auditio Consilio a rebus oeconomicis, aestimandam ».

Ad quaestionem denique de unica persona ad munus oeconomi persolvendum, animadvertisit Rev.mus Secretarius Ad. quod Episcopus nominare semper potest vice-oeconomum, sed non videtur necessarium ut norma specialis detur de hac re.

Ita expleta disceptatione circa canones de Curia dioecesana hoc schema manet approbatum, saltem provisorie, uti prostat in Adnexo I huius Relationis conclusivae.

III. DE CAPITULIS CANONICORUM ET DE CONSILIO PRESBYTERALI

A) DE CAPITULIS CANONICORUM

Antequam de Consilio presbyterali quaestiones specificae perpendantur ponitur quaestio, iam in votis Consultorum pertractata, de Capitulis canonicorum, nempe an haec institutio servanda adhuc sit in iure canonico et quibusdam normis in futuro ordinanda videtur. Litterae motu proprio datae *Ecclesiae Sanctae* quoad hanc quaestionem statuerunt Capitulum cathedralre (vel eo deficiente Coetum Consultorum) propriam competentiam servare « donec recognoscantur » (cfr. Pars I, art. 17, par. 2). Officium vero nostrae Commissionis est legislationem hodierni CIC recognoscere.

Rev.mus Secretarius Ad. animadvertisit fere omnes Consultores esse concordes in eo quod in unaquaque dioecesi unicus « senatus Episcopi » habetur. Haec functio adiuvandi Episcopum dioecesanum in regimine dioecesis a Codice Pio-Benedictino tributa est Capitulo Cathedrali (cfr. can. 391, § 2); nunc vero tribuenda est Consilio presbyterali, iuxta praescriptio-nes Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 7 atque M.P. *Ecclesiae Sanctae*, Pars I, art. 15, § 1. Ideoque, ad mentem maioritatis Consultorum, Capitula Cathedralia vi iuris vigentis existentia habere debent, si in novo Codice serventur, solummodo competentiam ad functiones liturgicas in ecclesia cathedrali perficiendas.

Rev.mus tertius Consultor, qui dicit se cum hac sententia non omnino concordare, quaerit ut per vestigetur quaestio de continuitate regiminis post sedis episcopalnis vacationem.

Respondet tamen Rev.mus Secretarius Ad., cui accedunt Exc.mi septimus, nonus et primus, atque Rev.mi quartus, octavus et secundus Consultores, quaestionem de Consilii presbyteralis constitutione atque functione esse quaestionem praeiudicialem relate ad aliam quaestionem propositam, nempe de regimine dioecesis perdurante sedis vacatione. Non videtur res logica ut e converso procedatur.

Exc.mus decimus Consultor, se referens ad Congregationem Plenariam Patrum S.C. pro Clericis mense octobri 1969 habitam, manifestat sententiam maioritatis esse ut quaestio de Capitulis ne solvatur antequam vota Conferentiarum Episcopali quoad hanc quaestionem postulentur. Mens tamen fuit ut unicus habeatur Senatus Episcopi, etsi quaedam adsint quaestiones quae Consilio presbyterali subicere prudens non videtur: ex. gr. nominatio parochorum.

Pro his quaestionibus — ait Rev.mus Secretarius Ad. — potest constitui parvus coetus seu Collegium consultorum ex ipsis membris Consilii presbyteralis, qui modo magis continuo Episcopum adiuvet.

Exc.mo decimo Consultori haec propositio placet sed animadvertisit pro nominationibus audiri etiam debere ab Episcopo Vicarium generalem et Vicarios Episcopales.

Huic necessitatibus iam providetur — ait Rev.mus Secretarius Ad. — per Consilium episcopale de quo in can. 5, § 3 canonum de Curia dioecesana.

Censem tamen Rev.mus quartus Consultor haec duo consilia (Consilium episcopale atque Collegium consultorum quod nunc proponitur) uniri debere. In canone enim 5, § 3 iam dicitur Consilium episcopale constare « Vicariis generalibus et Vicariis episcopalibus necnon aliis quibusdam personis ab ipso (Episcopo) eligendis ». Sufficeret ergo ut dicatur has personas seligendas esse ex membris Consilii presbyteralis.

Huic sententiae accedunt alii Consultores, inter quos Exc.mi quintus et primus Consultores, quia ita vitaretur multiplicatio consiliorum Episcopi in regimine dioecesis.

Exc.mi sextus et septimus Consultores dicunt esse opportunum ut Consilium episcopale servetur tanquam consilium privatum seu particulare (« conseil particulier ») et cum munere potius executivo. Animadvertisit tamen Rev.mus secundus Consultor hoc non impedire si Consilium episcopale et Collegium consultorum unirentur; praeterea vitare debemus ne in lege communi Ecclesiae tria statuantur consilia ad Episcopum adiuvandum in regimine dioecesis, nempe Consilium presbyterale, Consilium episcopa-

le atque Collegium consultorum. Re quidem vera tantum Consilium presbyterale ex instituto universalis habetur.

Fit adhuc discussio de hac quaestione. In fine proponitur a Rev.mo Secretario Ad. ut Consultores ulterius eam perpendant. Quod omnibus placet.

Circa constitutionem vero huius Collegii consultorum, sequens quaesitum suffragationi submittitur: « Utrum membra huius Collegii eligi debeant tantum ex membris Consilii presbyteralis (vel etiam, si adsint, ex membris Capituli Cathedralis) ».

Exitus suffragationis hic est:

Placet ut elegantur ex solis membris Consilii presbyteralis = 5

Non placet (quia eligendos esse censem ex utroque consilio) = 3

Reditus postea fit ad disceptationem de Capitulis canonicorum, circa quae sequentes ponuntur quaestiones:

1. De Capitulis servandis vel abolendis

Rev.mus Secretarius Ad. hanc propositionem iudicio Consultorum submittit:

« Capitulum servetur aut instituatur in regionibus ubi de iudicio Conferentiae Episcopalis illud expediat, sed eius munus sit functiones liturgicas in ecclesia cathedrali persolvere aliaque munera quae ipsi a iure aut ab Episcopo committantur ».

Exc.mi sextus et primus Consultores quaerunt ut singulis Episcopis dioecesanis relinquatur libertas decidendi. Proponunt ergo sequentem textus emendationem: « ... ubi de iudicio Episcopi, audita Conferentia Episcopali, illud expediat... » vel « ubi de iudicio Episcopi, consentiente Episcoporum Conferentia, illud expediat ... ».

Haec animadversio ceteris placet Consultoribus, sed fieri debet suffragatio quoad formulam quae adhiberi convenit. Exitus huius suffragationis est:

Pro formula « consentiente Episcoporum Conferentia » = 6

Pro formula « audita Conferentia Episcopali » = 3

2. De erectione Capituli

Omnibus placet ut res ipsa non amplius reservetur S. Sedi.

3. De interna ordinatione Capituli.

Placet ut reliquatur ad ipsa Capitulorum statuta.

4. De Capitulis collegialibus

Placet ut idem dicatur in Codice ac de Capitulis cathedralibus.

5. Quaenam servanda videntur in novo Codice circa Capitula canonicorum

Quoad « dignitates » (cfr. cann. 393-397) et « officia » (cann. 398-402) placet ut tantummodo dicatur: « Inter canonicos habeatur qui Capitulo praeest atque alia quoque officia constituantur ad normam statutorum, ratione etiam habita traditionis in singulis regionibus vigentis ».

Quoad can. 403 placet ut maneat sub alia tamen redactione. Item can. 410 et 413 ubi servanda quoque videtur formula « salvis fundationis legibus ».

Quoad can. 413, placet ut servetur sub alia tamen formula, attentis normis de hac materia in M.P. *Ecclesiae Sanctae* traditis atque prae oculis etiam habita possibilitate unionis alicuius dignitatis cum paroecia. Item dicendum est quod in casu conflictus semper ius parochi praevalere debet.

Ceteri canones hodierni CIC qui normas tradunt de Capitulis canonorum retinendi non videntur, saltem in iure communi.

B) DE CONSILIIS PRESBYTERALIBUS

Quaestiones quae in discussione perpenduntur sunt sequentes:

1. *Notio Consilii presbyteralis*

Rev.mus Secretarius Ad. hanc proponit formulam, ad mentem Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 7 et M.P. *Ecclesiae Sanctae* I, n. 15: « In unaquaque dioecesi constituatur Consilium presbyterale quod tanquam senatus sit Episcopi, totum presbyterium repraesentans, cuius est Episcopum in regimine dioecesis suis consiliis adiuvare ».

Animadvertisit ipse Rev.mus Secretarius Ad., attentis votis Consultorum de hac materia, vocem « senatus » ponendam quoque esse in textu canonis, quia habetur non tantum in ipsis documentis conciliaribus, sed etiam in can. 391 hodierni Codicis, qui Capitulum cathedrale definit tanquam « senatus et consilium » Episcopi. Ipsa tamen vox « senatus » intelligenda non est sensu civili (ex.gr. in iure Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis), quia Consilium presbyterale vocem deliberativam ex regula non habet.

Dicitur praeterea « in regimine dioecesis » ne munus Consilii presbyteralis intelligatur latiore sensu, nempe in omnibus quaestionibus.

Fit parva discussio de formula proposita, et in fine hic textus ab omnibus approbatur: « In unaquaque dioecesi constituatur coetus sacerdotum, scilicet Consilium presbyterale, quod tanquam senatus sit Episcopi, totum presbyterium repraesentans, cuius est Episcopum in regimine universae

dioecesis consiliis adiuvare, ut bonum pastorale portionis populi Dei ipsi commissae quam efficacius provehatur ».

2. Praeses Consilii presbyteralis

Rev.mi tertius et quartus Consultores animadvertunt Episcopum esse caput presbyterii, ideoque etiam caput Consilii presbyteralis. Contraponi non debent Episcopus et Consilium presbyterale, atque inter eos omnis species oppositionis omnino vitanda est.

Exc.mus septimus Consultor, etsi his dictis accedat, dicendum non censet Episcopum semper praeesse debere adunationibus Consilii presbyteralis.

Exc.mus decimus Consultor respondet Episcopum praeesse ac moderari posse ipsas adunationes, sive per se sive per delegatos, prout magis opportunum singulis in casibus videatur.

Nulla alia propositio fit, ideoque formula quae a Rev.mo Secretario Ad. proponitur et ab omnibus recipitur est sequens: « Eidem Consilio praeest Episcopus diocesanus, quippe qui sit presbyterii caput ».

3. Constitutio Consilii presbyteralis

In M.P. Ecclesiae Sanctae ait Rev.mus Secretarius Ad. non datur norma generalis. Attamen quaedam in Codice affirmando videntur, ex. gr. ius Epi- scopi sibi reservandi nominationem quorundam membrorum Consilii pre- sbyteralis.

Exc.mus sextus et Rev.mus secundus Consultores censem etiam dici de- bere quosdam sacerdotes membra esse Consilii presbyteralis ratione muneris.

Exc.mus primus Consultor, cui alii accedunt, putat maiorem partem membrorum Consilii libere quoque eligendam esse ab ipsis sacerdotibus presbyterii; portio tamen concreta quae hanc maiorem partem constitutat determinanda est in statutis, non iure generali.

Tres supradictae propositiones quoad substantiam approbantur. Opor- tet enim — censem Consultores — ut uniformitas quaedam habeatur in constituendis Consiliis presbyteralibus, etiam ratione prudentiae. Non omnia relinqu possunt singulis statutis particularibus.

4. Ius electionis ad Consilium presbyterale constituendum

Putat Rev.mus tertius Consultor distinguendum esse inter eos qui in- cardinati sunt ecclesiae particulari et alios sacerdotes, sive saeculares sive re- ligiosos quibus etiam tribui potest, alio vero titulo, ius ferendi suffragium.

Exc.mus decimus Consultor mavult ut hoc ius tribuatur secundum di- versa ministeria: pro parochis, pro cappellanis associationum, etc.

Idest detur ius suffragium ferendi omnibus sacerdotibus qui aliquo modo cooperantur in servitio dioecesis, sed suffragia distribuantur secundum categorias — nempe, tot pro parochis, tot pro vicariis paroecialibus, etc. — quia non omnes ponendi sunt in eadem linea. Idem censemus septimus Consultor.

Rev.mus octavus Consultor hanc proponit formulam: « incardinati omnes et alii sacerdotes, sive saeculares sive religiosi, ministerium sacerdotalis stabiliter in servitium dioecesis exercentes ». Propositio tamen non omnibus placet quia tunc in eadem linea ponerentur omnes, dum non omnes stricto sensu ad presbyterium dioecesanum pertinent.

Praeterea — ait Rev.mus tertius Consultor — non sufficit dicere « ministerium sacerdotale », quia requiritur ut sit « munus dioecesanum ».

Quoad religiosos — animadvertisit Rev.mus Secretarius Ad. — in documentis conciliaribus dicitur eos non « simpliciter » ad presbyterium pertinere sed « quodammodo », nempe quatenus in cura animarum et apostolatus operibus exercendis partem habeant.

Fit adhuc parva discussio de hac quaestione, et in fine haec formula quoad substantiam approbatur:

§ 1. Ius electionis tum activum tum passivum ad Consilium presbyterale constituendum habent:

1° omnes sacerdotes in dioecesi incardinati qui insimul in eadem domicilium aut quasi-domicilium habent;

2° sacerdotes qui, licet in dioecesi non sint incardinati, in eadem domicilium aut quasi-domicilium habent et in eadem officium aliquod ecclesiasticum exercent;

3° religiosi qui ab Episcopo dioecesano deputantur ut in cura animarum aut in operibus apostolatus partem aliquam fori externi habeant.

§ 2. Alii sacerdotes, sive saeculares sive religiosi, qui in dioecesi domicilium aut quasi-domicilium habent ab Episcopo nominari possunt, et, quatenus statuta id provideant, eligi valent.

Rev.mus Secretarius Ad., omnibus attentis quae hucusque deliberata sunt de Consilio presbyterali, sequentes formulas canonum examini Consultorum subicit:

Can. 1

§ 1. In unaquaque dioecesi constituatur coetus sacerdotum, scilicet Consilium presbyterale, quod tanquam senatus sit Episcopi, totum presbyterium repraesentans, cuius est Episcopum in regimine universae dioecesis

consiliis adiuvar, ut bonum pastorale portionis populi Dei ipsi commissae quam efficacius provehatur.

§ 2. Consilio presbyterali praest Episcopus dioecesanus, quippe qui presbyterii sit caput.

Can. 2

Ad designationem quod attinet sodalium Consilii presbyteralis:

1° Episcopo dioecesano integrum est eorum aliquos libere nominare

2° eorum aliqui, ad norma statutorum Consilii presbyteralis, possunt esse membra nata, qui scilicet ratione ipsius officii ipsis demandati, ad Consilium pertinent;

3° maior eorum pars libere elegantur a sacerdotibus ipsis, ad normam canonum qui sequuntur necnon statutorum.

Can. 3

§ 1. Ius electionis tum activum tum passivum ad Consilium presbyterale constituendum habent:

1° omnes sacerdotes in dioecesi incardinati qui insimul in eadem domicilium aut quasi-domicilium habent;

2° sacerdotes qui, licet in dioecesi incardinati non sint, in eadem domicilium aut quasi-domicilium habent et in eadem officium aliquod ecclesiasticum exercent;

3° religiosi qui ab Episcopo dioecesano deputantur ut in cura animarum aut in operibus apostolatus partem aliquam fori externi habeant.

§ 2. Alii sacerdotes, sive saeculares sive religiosi, qui in dioecesi domicilium aut quasi-domicilium habent, ab Episcopo nominari possunt, et, quantum statuta id provideant, eligi valent.

Quoad canonem 1. Proponitur ab Exc.mo primo Consultore ut ita emendetur textus in initio § 1: « In unaquaque dioecesi constituatur Consilium presbyterale, coetus scilicet sacerdotum... ». Ita redactio fit clarior, neque intelligi potest ac si quilibet coetus sacerdotum induere possit figuram Consilii presbyteralis. Emendatio proposita ab omnibus recipitur.

Quoad canonem 2. Rev.mus tertius Consultor suggerit, et accipitur animadversio, sequentem ordinis mutationem: n. 3, qui de electione agit, sit n. 1; n. 2 maneat n. 2; n. 1 fiat n. 3.

Quoad canonem 3, § 1. Ipse Rev.mus Secretarius Ad. atque Rev.mus tertius Consultor proponunt ut in numeris 1° et 2° dicatur « sacerdotes saeculares », ut distinctio fiat a sacerdotibus religiosis, de quibus in n. 3° agitur. Propositio omnibus placet.

Exc.mus primus Consultor suggerit, et approbatur, ut in n. 2°, lin. 2, deleantur verba « in eadem », quia non sunt necessaria.

Proponit Exc.mus septimus Consultor ad n. 3°, ut loco « in cura animarum aut in operibus apostolatus partem aliquam fori externi habeant » dicatur: « in bonum dioecesis partem aliquam stabilem fori externi habeant ». Ita non includuntur qui quandoque tantum veniunt ad conciones faciendas, etc. — Placet propositio.

Ad mentem Exc.mi sexti Consultoris, fundamentum distinctionis ponendum est in facto muneris quod deputatione ab Episcopo facta exercetur, potius quam in criterio domicilii vel quasi-domicilii.

Hac attenta animadversione, Rev.mus Secretarius Ad. proponit, pro n. 3° huius § 1, sequentem formulam, ita ut includantur sacerdotes qui aliquod munus interdioecesanum exercent: « 3°. Sacerdotes, saeculares et religiosi, qui ab Episcopo deputantur ut in bonum dioecesis partem aliquam stabilem fori externi habeant ».

Facta suffragatione de tota § 1 canonis cum supradictis emendationibus, ab omnibus provisorie approbatur.

Quoad canonem 3, § 2. Placet Exc.mo sexto Consultori divisio canonis in duas paragraphos, ita ut in § 1 agatur de iis qui ius electionis tum actuum tum passivum ex iure generali habere debent, in § 2 vero de iis qui idem ius per statuta habere possunt.

Censet tamen Exc.mus septimus Consultor § 2 clariore modo exarandam esse, ita ut melius intelligatur istos sacerdotes etiam vocem activam habere.

Huic animadversioni alii accedunt Consultores, quapropter a Rev.mo Secretario Ad. sequens textus § 2 emendatus proponitur: « Quatenus statuta id provideant idem ius electionis conferri potest aliis sacerdotibus qui domicilium aut quasi-domicilium in dioecesi habent, aut officium aliquod quod in bonum dioecesis exercent ».

Facta suffragatione haec formula provisoria approbatur ab omnibus.

5. *Compositio Consilii presbyteralis*

Omnibus Consultoribus placet ut norma aliqua detur statuens omnes categorias presbyterorum in Consilio presbyterali repraesentari debere. Quapropter Rev.mus Secretarius Ad. haec verba in aliquem canonem inserenda proponit: « ex variis regionibus, ministeriis et aetatibus ».

Huic propositioni accedit Rev.mus quartus Consultor non tantum quia ita haberetur vera repraesentatio totius presbyterii sed etiam quia vitatur periculum praeponderantiae alicuius particularis tendentiae (sic dicti « gruppo di pressione ») in sinu unius Senatus Episcopi.

Exc.mus primus Consultor animadvertisit quod si eae diversae portiones pro diversis categoriis determinantur in iure generali, libertas presbyterorum in electione aliquo modo coarctari poterit.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. non in iure communi sed in statutis ponendas esse particulares determinationes quibus haec norma generalis in praxim ducatur. Proponit ergo, et provisorie ab omnibus accipitur, sequentem formulam: « Modus eligendi membra Consilii presbyteralis ad normam statutorum componi debet, ratione tamen habita diversarum categoriarum personarum ex variis scilicet regionibus dioecesis, ministeriis et aetatisbus ».

Quoad numerum sacerdotum qui Consilium presbyterale efformare possunt mens Consultorum est ut nihil in Codice dicatur. Res relinquendi statutis uniuscuiusque Consilii, quia ad eius internam organizationem pertinet. Consilium tamen presbyterale numquam induere potest formam seu speciem generalis coetus omnium sacerdotum dioecesis (« Assemblea »), licet in sat parvis dioecesis omnes vel fere omnes presbyteri in Consilium adnumerari possint ab Episcopo dioecesano.

6. Statuta Consilii

In M.P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 15 dicitur Consilium presbyterale constitui debere « modis ac formis ab Episcopo statuendis », sed addita est sub n. 17 sequens commendatio: « Expedit ut in quaestionibus tum Consilium presbyterale tum Consilium pastorale (...) spectantibus, Episcopi, praesertim in Conferentiis adunati, communia consilia capiant et normas edant similes in omnibus territorii dioecesis ».

His pree oculis habitis, Rev.mus Secretarius Ad. proponit, et accipitur, sequentem formulam: « Consilium presbyterale habeat propria statuta, ab Episcopo probata, attentis normis ab Episcoporum Conferentia prolatis ».

7. Permanentia Consilii

Quaestio partim remittenda videtur iuri particulari, sub hac tamen formula in Codice ponenda, quae provisorie a Consultoribus approbatur: « Secundum statuta Consilium presbyterale constituatur ad tempus, ita tamen ut integrum Consilium vel aliqua eius pars intra quinquennium renovetur ».

Quoad cessationem Consilii post sedis episcopalnis vacationem, licet ea norma data est in M.P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 15, § 4, Consultores censem normam definitavam de hac quaestione subordinatam esse recognitioni legislationis de Capitulo cathedrali, quod ab ipso M.P. postulatum est.

Quapropter, Rev.mus Secretarius Ad., attentis omnibus quae disceptata iam sunt de Capitulis canonicorum, sequentem proponit formulam:

« Vacante sede Consilium presbyterale permanet, sed intra sex menses a capta possessione sua sedis, novus Episcopus debet Consilium presbyterale noviter constituere, quo constituto prius a munere cessat ».

Facta suffragatione hic textus ab omnibus approbatur.

Mens quoque est Consultorum ut Consilium presbyterale, vel potius Collegium consultorum, post sedis vacationem nominet « Administratorem dioecesanum », qui locum teneat in futuro Codice hodiernae figurae iuridicae « Vicarii capitularis ».

8. *Cessatio in munere membra Consilii*

Rationes cessationis diversae quidem possunt esse: ex.gr. cessatio in officio ob quod aliquis nominatus est membrum Consilii, vel amissio domicilii aut quasi-domicilii quod habebat in dioecesi, etc.

Quapropter sequens textus provisorie approbatur: « Qui electus non amplius implet conditiones in can. (3) praewisas cessat a munere eiusque locum tenet qui vices eius supplet, secundum statutorum praescripta ».

9. *Competentia Consilii presbyteralis*

Quidam Consultores putant quandoque votum deliberativum tribui posse Consilio, licet ex regula Consilium presbyterale votum tantum consultivum habeat. Alii tamen Consultores contrariam tenent sententiam.

Rev.mus Secretarius Ad. animadvertisit quod Episcopus non potest cedere potestatem quam habet, quae quidem est iuris divini. Quaerere valet Consilio votum deliberativum, saltem pro quibusdam quaestionibus ab ipso Episcopo statutis. Attamen Episcopus integrum decisionis libertatem semper servat, quia minime sequi tenetur sententiam maioritatis.

Exc.mus primus Consultor memorat clausulas quae in hodierno Codice habentur relate ad quaestiones Capitulo cathedrali submittendas.

Pro quibusdam enim requiritur « consensus Capituli », dum pro aliis tantum statutum est « auditio Capitulu ».

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. in casibus ubi requiritur Capituli consensus partiale reservationem adesse ex parte auctoritatis ecclesiasticae superioris relate ad potestatem Episcopi. Agitur enim de reservationibus statutis in iure communi.

Fit adhuc parva disceptatio, cuius in fine sequens approbatur formula:

§ 1. Consilium presbyterale gaudet voto consultivo, salvis praescriptis iuris universalis.

§ 2. Audiendum est in causis quae a iure generali statutae sunt, atque in causis quae regimen generale dioecesis respiciunt de iudicio Episcopi.

10. *Convocatio Consilii presbyteralis*

Quaerit Rev.mus tertius Consultor, cui accedit Rev.mus quartus Consultor, ut aliqua de hac re ponatur norma generalis, ne habeantur magnae differentiae inter Consilia diversarum nationum vel dioecesum. Distinctio praeterea facienda videtur inter sessiones ordinarias et extraordinarias, licet particulares determinationes de hac quaestione singulis statutis relinquuntur.

Rev.mus Secretarius Ad. hanc proponit formulam:

§ 1. Consilium presbyterale ab Episcopo convocetur saltem bis singulis annis.

§ 2. Praeterea convocetur si peculiaria dioecesis adiuncta iudicio Episcopi aut tertiae partis Consilii presbyteralis illud aestimet necessarium.

Quoad § 2 animadvertisit Rev.mus secundus Consultor forsan tertiam membrorum partem esse, saltem in quibusdam dioecesibus, numerum sat parvum, ideoque, foveretur constitutio alicuius « coetus pressionis », qui continuam convocationem Consilii presbyteralis petat. Huic animadversioni alii accedunt Consultores inter quos Exc.mus primus et Rev.mus quartus Consultores.

Quidam Consultores proponunt ut haec determinatio statutis singulorum consiliorum relinquatur. Attamen Rev.mus tertius Consultor contraria tenet sententiam, quia tunc — ait Rev.mus — statuta requirere possunt numerum minorem quam tertiam partem membrorum.

In fine disceptationis de hac re, proponitur sequens formula emendata § 2, quae ab omnibus recipitur:

Praeterea convocetur si peculiaria dioecesis adiuncta id suadeant sive iudicio Episcopi sive iudicio partis membrorum, non minoris quidem unius tertiae partis, a statutis determinatae.

11. *Aliae quaestiones propositae de Consilio presbyterali*

Exc.mus quintus Consultor, ad vitanda dubia quae oriri possunt si praeter Consilium presbyterale in iure communi introducatur figura « Col-

legii consultorum », de quo iam disceptatum est in hac Sessione, sequentem proponit normam:

a) quando in canonibus Codicis habeatur formula « auditio Consilio presbyterali », tunc intelligendum est ut audiatur Collegium consultorum;

b) quando vero clausula sit « de consensu Consilii presbyteralis », tunc exquirenda est sententia totius Consilii presbyteralis, quia agitur de rebus maioris momenti pro generali dioecesis regimine.

Haec norma omnibus placet Consultoribus.

Ponitur deinde quaestio de admissione diaconorum in Consilium presbyterale. Omnes tamen Consultores se dicunt contrarios quia diaconi sacerdotium ministeriale non habent, dum Consilium presbyterale a Concilio definitum appetit « coetus sacerdotum ». Diaconi potius partes habent in Consilio pastorali.

Ponitur etiam quaestio utrum diversa haberi possint Consilia presbyteralia distincta pro diversis dioecesis regionibus. De communi sententia, unum tantum Consilium presbyterale pro dioecesis singulis haberi potest, quia unitas dioecesis salvanda est, uti arguit Rev.mus quartus Consultor, et quia haec unitas regiminis in discriminem vocari posset, si darentur varia Consilia presbyteralia, uti arguit Exc.mus primus Consultor.

Animadvertisit quidem Rev.mus tertius Consultor aliam esse quaestionem de modo quo Consilium presbyterale constituendum sit: requiritur unum pro universa dioecesi Consilium presbyterale, sed in magnis dioecesis efformari possunt quasi-capitula presbyterorum pro diversis regionibus, sed quorum tantum est unum constituere Consilium presbyterale, scilicet eiusdem membra eligere.

Concludit Rev.mus Secretarius Ad. in magnis dioecesibus haberi possunt coetus presbyterorum, in quibus nempe convenienter presbyteri regionis ad deputandos eos qui Consilium constituent; regiones possent v.g. esse vicariatus foranei.

Ut autem notat Exc.mus primus Consultor, cui omnes consentiunt, nulla de supradictis requiritur norma in Codice; sufficit quod iam dictum est, ut modus designationis determinetur in statutis.

Alia ponitur quaestio, scilicet utrum in parvis dioecesibus omnes presbyteri possint esse membra Consilii presbyteralis. Aestimat Exc.mus primus Consultor, cui alii consentiunt, non omnes presbyteros ad Consilium deputari posse: etiam in parvis dioecesibus dantur saltem 15 vel 20 presbyteri, quorum aliqui ad Consilium deputandi sunt. Ad numerum membrorum Consilii presbyteralis quod attinet, eius determinatio relinquitur Conferentiae Episcoporum.

Quaestio tandem iterum ponitur de designatione illius qui, dioecesi vacante, regimen dioecesis ad interim curat. Imprimis consentiunt omnes ut aliquam saltem partem in illa designatione habeat Consilium presbyterale. Sed diversae possunt esse quaestionis solutiones, scilicet: 1. electio a solo Consilio presbyterali; 2. electio a Consilio consultorum, qui in Consilio presbyterali constituitur; 3. electio a Capitulo cathedrali et a Consilio consultorum insimul.

Proponit Rev.mus Secretarius Ad. ut, in regionibus in quibus hodie Capitulum habet ius praesentandi, haec designatio fiat a Capitulo una cum Collegio consultorum; quod omnibus placet.

Proponit Exc.mus primus Consultor ut in dioecesibus, in quibus Consilium presbyterale parvo numero presbyterorum constat, designatio committatur ipsi Consilio presbyterali; aestimat Rev.mus Secretarius Ad. statuendum esse hoc ius Consilio presbyterali competere, in dioecesibus, in quibus dictum Consilium non constat plus quam septem membris; quod placet.

Animadvertisit Exc.mus sextus Consultor illas normas valere tantum pro casu, quo a Sancta Sede non nominatur Administrator apostolicus, et id notandum esse in norma componenda.

Attentis quae admissa sunt, convenient omnes ut designatus ad dioecesim ad interim regendam appelletur non nomine « Vicarii capitularis », sed nomine « Administratoris dioecesani ».

Animadvertisit denique Exc.mus sextus Consultor quod soli Administratori dioecesano competere debet convocare Consilium presbyterale, tempore sedis vacantis, quod etiam omnibus placet.

Ita expleta disceptatione de Consilio presbyterali schema canonum provisorie approbatur uti prostat in Adnexo II huius Relationis conclusivae.

IV. DE CONSILIO PASTORALI

Quaestiones de hac materia pertractatae sunt sequentes:

1. *Notio Consilii pastoralis*

Notandum est hoc Consilium esse organum permanens sed « quoad membra et actionem potest esse ad tempus atque ex occasione munere suo perfungens » (M.P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 16, § 2), ideoque stabilitatem non habet qua gaudet Consilium presbyterale. Munus eius praeterea resipicit opera pastoralia dioecesis, exclusis quaestionibus quae ad dioecesis regimen pertinent.

His attentis, Rev.mus Secretarius Ad. ad mentem Decr. *Christus Dominus*, n. 27, Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 26 atque M.P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 26, sequentem proponit formulam, quae ab omnibus Consultoribus approbatur:

In singulis dioecesibus, quatenus pastoralis sollicitudo id suadeat, constituatur Consilium pastorale cuius est sub auctoritate Episcopi ea omnia quae opera pastoralia spectant investigare, perpendere atque de eis conclusiones practicas proponere.

2. *Compositio Consilii pastoralis*

Omnis pariter Consultores, sive in suis votis sive in disceptatione quae fit, unicum tenent sententiam quoad compositionem huius Consilii, nempe: in eo repraesentari debet universa populi Dei portio quae respectivam Ecclesiam particularem constituit, ideoque in hoc Consilio partem habere debent non tantum laici, sed etiam clerici et religiosi. Laici autem maiorem partem Consilii pastoralis constituant. Consilium enim pastorale de quo agimus, non est tantum Consilium quod commendatur in Decr. *Christus Dominus*, n. 27, sed etiam Consilium quod sequentibus describitur verbis in Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 26: « In dioecesibus, in quantum fieri potest, habeantur consilia quae operam apostolicam Ecclesiae sive in campo evangelizationis et sanctificationis sive in campo caritativo, sociali et aliis, adiuvent, cooperantibus convenienter clericis et religiosis cum laicis ».

Quoad selectionem membrorum, et praesertim laicorum, omnes pariter insistunt in eo quod vera et ampla repraesentatio habeatur, ad quod obtinendum vitari debet ne tantum partem in Consilio pastorali habeant, vel eius labores modo determinante ordinent, hi tantum pauci, soliti ac notissimi laici qui in omnibus vel fere omnibus coetibus, commissionibus vel associationibus ecclesiasticis sunt praesentes, quique quandoque sibi indebitate arrogant repraesentationem totius laicatus catholici, vel immo omnium fidelium populi Dei. Hi quidem laici sunt saepius benemeriti; attamen non tantum ipsi sed omnes baptizati partem in missione Ecclesiae habent.

His omnibus attentis quae prolata sunt in disceptatione, sequens formula canonis a Rev.mo Secretario Ad. proponitur:

§ 1. Consilium pastorale constat personis quae in plena communione sint cum Ecclesia Catholica, repraesentantes tum clericos, tum religiosos, tum laicos, quaeque designantur modo ab Episcopo dioecesano determinato, secundum normas a Conferentia Episcoporum statutas.

§ 2. Maior pars membrorum sint christifideles laici.

§ 3. Personae quae deputantur ad Consilium pastorale ita seligantur ut universa populi Dei portio quae dioecesim constitutat revera repraesentetur, ratione habita diversarum dioecesis regionum, condicionum socialium et professionum, necnon partis quam sive singuli sive cum aliis coniuncti in apostolatu habent, praesertim vero attenta praestantia et prudentia quibus gaudent.

Facta suffragatione, haec formula unanimiter approbatur.

Rev.mus secundus Consultor, licet sit concors cum formula proposita, quaerit quid dicendum si in ipso territorio quo dioecesis exclusive circumscribitur, habeantur fideles ex alio Ritu.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. hos fideles, etsi possint invitari ad Consilium pastorale dioecesis territorialis, iam repraesentari debere in Consilio pastorali suae Ecclesiae particularis. Omnes enim Ecclesiae particulares, sive territoriales sive personales, sive mixtae, proprium habent Consilium pastorale, sicut proprium habent Presbyterium ac Consilium presbyterale.

Hoc responsum omnibus placet, ideoque nihil additur in formula.

3. *Constitutio Consilii pastoralis*

Animadvertisit Rev.mus tertius Consultor institutum Consilii pastoralis esse institutum facultativum, uti desumitur ex verbis M.P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 16, ideoque licet institutio sit permanens, Consilium uti tale non potest esse permanens.

Fit parva disceptatio cuius in fine haec approbatur formula:

§ 1. Consilium pastorale constituitur ad tempus, iuxta praescripta statutorum, quae ab Episcopo dantur attentis normis ab Episcoporum Conferentia statutis.

§ 2. Sede vacante Consilium pastorale extinguitur.

4. *Praesidentia atque convocatio Consilii pastoralis*

Rev.mus secundus Consultor suggestit ut explicite dicatur Episcopum dioecesanum praeesse Consilio pastorali, quod dictum iam est relate ad Consilium presbyterale. Suggestio placet.

Quoad convocationes, Rev.mi Secretarius Ad., tertius et quartus Consultores proponunt ut Consilium convocetur semel saltem in anno utque convocatio, sive ordinaria sive extraordinaria, ab Episcopo dioecesano tantum fiat, non a parte aliqua membrorum Consilii. His propositionibus alii accedunt Consultores.

Formula ergo canonis quae suffragationi submittitur et approbatur ita sonat:

§ 1. Consilium pastorale iuxta necessitates apostolatus convocare eique praeesse ad solum Episcopum partinet.

§ 2. Saltem in anno convocetur.

5. Coordinatio inter Consilium presbyterale et Consilium pastorale

Rev.mus tertius Consultor censem haec duo Consilia plene distincta haberi debere, ita ut unumquodque Consilium aptius proprias functiones implere valeat.

Item censem Rev.mi Secretarius Ad. et quartus Consultor qui dicunt vitandum esse ne quis putet Consilium pastorale aliquo modo ponи sub directione Consilii presbyteralis.

Exc.mus primus Consultor animadvertisit quod adesse possunt res mixtae, circa quas duo haec Consilia propriam sententiam proponant; praeterea aliqui sacerdotes qui sint membra Consilii presbyteralis partem habere quoque possunt in Consilio pastorali.

Fit adhuc parva discussio de hac quaestione, et in fine sequens formula canonis, ubi de Consilio pastorali ponenda, suffragatione approbatur:

Consilium presbyterale in tractandis causis quae ad regimen spectant operum pastoralium rationem habeat earum quae Consilium pastorale de operibus pastoralibus perpenderit atque proposuerit.

6. Possibilitas constituendi Consilium pastorale pro provincia aut regione ecclesiastica

Exc.mus quintus Consultor ad mentem Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 26, proponit formulam quae sequitur:

Ubi de iudicio Episcoporum provinciae vel regionis ecclesiasticae id expeditat, Consilium pastorale constitui potest pro universa provincia aut regione, sub auctoritate respectivae Episcoporum Conferentiae.

Nulla alia propositio fit. Quapropter schema canonum de Consilio pastorali provisorie approbatur uti prostat in Adnexo III huius Relationis conclusivae.

Ita expleta disceptatione de quaestionibus in hac Sessione pertractandis, preces de more dicuntur et adunationibus Coetus finis imponitur.

Romae, d. 9 februarii 1970.

I. HERRANZ
Actuarius

[CANONES IN HAC SESSIONE ADPROBATI]

Adnexus I
DE CURIA DIOECESANA

(*Praescripta generalia*)

Can. 1 (CIC 363)

§ 1. Curia dioecesana constat illis institutis et personis quae Episcopo aliive qui loco Episcopi dioecesi praest opem praestant in regimine pastorali universae dioecesis. Ad eam pertinent instituta et personae quae ergo deputantur ut in actione pastorali dirigenda, in administratione dioecesis curanda necnon in potestate iudiciali exercenda partem aliquam habeant.

Can. 2 (CIC 364, § 1)

§ 1. Nominatio eorum qui officia in Curia dioecesana exercent spectat ad Episcopum dioecesanum.

§ 2. Eorum nominatio scripto consignetur, ad normam (can. 159).

Can. 3 (CIC 364, § 2)

Omnes qui ad officia in Curia admittuntur debent:

1° promissionem emittere de munere fideliter adimplendo, addito etiam iuramento, secundum rationem ab Episcopo determinatam;

2° negotia ad se spectantia debita cum diligentia tractare, ad normam iuris;

3° secretum servare intra fines et secundum modum a iure aut ab Episcopo determinatos.

Can. 4 (CIC 365)

De negotio atque de personis quae in Curia ad exercitium potestatis iudicialis se referunt, serventur praescripta cann. (1573-1593); de iis quae ad administrationem dioecesis spectant, serventur praescripta canonum qui sequuntur.

Can. 5 (novus)

§ 1. Episcopus dioecesanus curare debet ut omnia quae ad universae dioecesis administrationem pertinent negotia debite coordinentur et ad bonum portionis populi Dei sibi commissae aptius procurandum ordinentur.

§ 2. Ipsius Episcopi dioecesani est coordinare labores qui ad exercitium pertinent munerum quae Vicario generali vel Vicariis generalibus et Vicariis episcopalibus sunt commissa; Episcopo autem absente aut impedito, hoc officium coordinationis adimpleat Vicarius generalis qui Caput est Curiae aut qui ab Episcopo ad hoc est designatus.

§ 3. Si id expedire iudicaverit ad ordinatum dioecesis regimen, Episcopus sibi constituat Consilium episcopale, constans Vicariis generalibus et Vicariis episcopalibus necnec aliis quibusdam personis ab ipso eligendis.

Can. 6 (novus)

§ 1. In unaquaque dioecesi ab Episcopo dioecesano nominetur Caput Curiae, cuius est sub eiusdem auctoritate coordinare labores quae ad universae dioecesis administrationem pertinent, salvo praescripto can. 5, § 2, itemque curare ut inferiores officium sibi commissum rite adimpleant; eiusdem est, si casus ferat, communicationem publicam prelo aliisve mediis curare.

§ 2. Nisi locorum adjuncta iudicio Episcopi aliud suadeant, Caput Curiae nominetur Vicarius generalis aut, si plures sint, unus ex Vicariis generalibus.

Can. 7 (novus)

Acta Curiae quae effectum iuridicum habere nata sunt subscribi debent ab Ordinario a quo emanant, una cum Curiae cancellario; qui vero cancellarius Caput Curiae de actis certius facere tenetur.

*(Praescripta specialia)**1. De Vicariis generalibus et episcopalibus*

(Hic venire possunt canones [septem] qui de Vicariis generalibus et episcopalibus probati sunt: cfr. supra, p. 59).

*2. De cancellario aliisque notariis et archivo episcopali**Can. 15 (CIC 372)*

§ 1. In qualibet Curia constituatur cancellarius, cuius praecipuum munus est curare ut acta Curiae redigantur et expediantur, ut eadem in Curiae

archivo custodiantur, ut ordine chronologico disponantur et de iisdem indicis tabula conficiatur. In causis quibus famam sacerdotis in discrimen vocari possit, cancellarius debet esse sacerdos.

§ 2. Si necesse videatur, cancellario dari potest adiutor, cui nomen sit vice-cancellarii.

§ 3. Cancellarius necnon vice-cancellarius sunt eo ipso notarii.

Can. 16 (CIC 373)

§ 1. Praeter cancellarium, constitui possunt alii notarii, quorum quidem scriptura seu subscriptio publicam fidem facit, et quidem sive ad quaelibet acta, sive ad acta iudicialia dumtaxat sive ad acta certae causae aut negotii tantum.

§ 2. Notarii assumi possunt etiam laici: in causis tamen quibus fama sacerdotis in discrimen vocari possit, debet esse sacerdos.

Can. 17 (CIC 374)

Officium notarium est:

1° conscribere acta et instrumenta circa decreta, dispositiones, obligationes aliave de quibus eorum opera requiritur;

2° in scriptis fideliter redigere quae geruntur, eaque, cum significazione loci, diei, mensis et anni subsignare;

3° acta vel instrumenta legitime petenti ex regesto, servatis servandis, exhibere et eorum exempla cum autographo conformia declarare.

Can. 18 (CIC 373, §§ 4-5)

§ 1. Cancellarius aliquie notarii ut nominentur, debent esse integrae famae et omni suspicione maiores.

§ 2. Cancellarii aliquie notarii ab officio removeri possunt ad nutum Episcopi dioecesani, non autem a Vicario capitulari (Administratore dioecesano), nisi de consensu Consilii presbyteralis.

Can. 19 (CIC 375)

§ 1. In unaquaque Curia erigatur, in loco tuto et commodo, archivum seu tabularium dioecesanum, in quo instrumenta et scripturae quae ad negotia dioecesana tum spiritualia tum temporalia spectant, apte disposita et dilingenter clausa custodiantur.

§ 2. Documentorum quae in archivio continentur conficiatur inventarium seu catalogus, cum brevi singularum scripturarum synopsi.

Can 20 (CIC 377)

§ 1. Archivum clausum sit oportet eiusque clavem habeant soli Episcopus et cancellarius; nemini licet illud ingredi nisi de Episcopi aut Capitis Curiae et cancellarii licentia.

§ 2. (CIC 384). Documenta quae in Curiae aut paroeciae archivio sub secreto servanda non sunt, ius est christifidelibus quorum interest inspi-ciendi, itemque postulandi ut sua impensa sibi legitimum eorum exem-plum exscriptum aut photostaticum tradatur.

Can. 21 (CIC 378)

§ 1. Ex archivio non licet efferre scripturas, nisi ad breve tempus tan-tum atque de Episcopi aut Capitis Curiae et cancellarii consensu.

§ 2. Qui aliquam scripturam ex archivio effert, sygrapham sua manu signatam, hoc ipsum significantem, cancellario tradat.

Can. 22 (CIC 379)

§ 1. Sit Curiae dioecesanae aliud archivum, aut saltem in communi ar-chivo armarium seu scrinium, omnino clausum et obseratum, quod de lo-co amoveri nequeat, in quo scilicet scripturae secreto servandae cautissime custodiantur.

§ 2. Singulis annis destruantur documenta causarum criminalium in materia morum, quarum rei vita cesserint aut quae a decennio sententia condemnatoria absolutae sunt, retento hoc ultimo casu facti brevi sum-mario textum sententiae definitivae exhibente.

Can. 23 (CIC 380-382)

§ 1. Archivi secreti clavem tantummodo Episcopus et cancel-larius aliasve sacerdos ab Episcopo designatus.

§ 2. Sede vacante archivum vel armarium secretum ne aperiatur, nisi in casu verae necessitatis, ab ipso Vicario capitulari (Administratore dio-e cesano) eiusve delegato.

§ 3. Ex archivio vel armario secreto documenta ne efferantur.

Can. 24 (CIC 383)

§ 1. Curet Episcopus dioecesanus ut archivorum quoque ecclesiarum cathedralium, collegiarum, paroecialium, necnon personarum iuridicarum publicarum et piorum locorum inventaria seu catalogi conficiantur duobus exemplis, quorum alterum in proprio archivo, alterum in archivo episcopali servetur, firmo praescripto cann. (470 § 3; 1522, nn. 2, 3; 1523, n. 6).

§ 2. Documenta originalia ex praedictis archivis ne efferantur, nisi ad normam can. 21.

3. De examinatoribus dioecesanis

Can. 25 (CIC 385-390)

§ 1. In quavis dioecesi constituantur examinatores dioecesani, numero de iudicio Episcopi requisito, qui operam praestent in experimentis ad provisiones canonicas requisitis necnon in processibus de quibus in cann. (2147 et ss.).

§ 2. Examinatores dioecesani ad quinquennium eligantur a Consilio presbyterali inter sacerdotes ab ipso Episcopo propositos.

§ 3. Examinatores dioecesani ab Episcopo a munere ne removeantur, nisi ob gravem causam, ab ipso Episcopo, auditio Consilio presbyterali, aestimandam.

4. De Consilio a rebus oeconomicis et de oecono

Can. 26 (novus)

§ 1. In singulis dioecesibus constituatur Consilium a rebus oeonomicis, cui praesidet ipse Episcopus dioecesanus eiusve delegatus, et quod constat tribus saltem personis, in re oeconomica vere peritis et integritate praestantibus, sive clericis sive laicis, ab Episcopo, secundum normas ab Episcoporum Conferentia statutas, nominatis.

§ 2. Nisi Episcoporum Conferentia aliter statuerit, membra Consilii a rebus oeconomicis ad quinquennium nominentur, sed expleto hoc tempore ad alia quinquennia assumi possunt.

Can. 27 (novus)

§ 1. Consilii a rebus oeconomicis est quotannis rationem apparare quaestuum et erogationum quae pro universo dioecesis regimine anno venturo praevidentur, necnon, anno exeunte, rationem accepti et expensi probare.

§ 2. Eiusdem Consilii assensu eget Episcopus dioecesanus ut expensas ordinet extraordinarias, quas scilicet ob adiuncta specialia in ratione erogationum non praevisa admittendas aestimet.

Can. 28 (novus)

§ 1. In singulis dioecesibus ab Episcopo, auditio Consilio a rebus oeconomicis, nominetur oeconomus, qui sit, sive clericus sive laicus, in re oeconomica vere peritus et probitate prorsus praestans.

§ 2. Oeconomus nominetur ad quinquennium, sed expleto hoc tempore ad alia quinquennia nominari potest; durante munere ne amoveatur nisi ob gravem causam ab Episcopo, auditio Consilio a rebus oeconomicis, aestimandam.

§ 3. Oeonomi est, secundum rationem a Consilio a rebus oeconomicis definitam, ex quaestu dioecesi constituto, expensas facere quas Episcopus aliive ab ipso deputati legitime ordinaverint.

§ 4. Anno vertente, oeconomus Consilio a rebus oeconomicis rationem accepti et expensi reddere debet.

Adnexum II**DE CONSILIO PRESBYTERALI***Can. 1*

§ 1. In unaquaque dioecesi constituatur Consilium presbyterale, coetus scilicet sacerdotum, quod tanquam senatus sit Episcopi, totum presbyterium repraesentans, cuius est Episcopo in regimine universae dioecesis consiliis adiuvare, ut bonum pastorale portionis populi Dei ipsi commissae quam efficacius provehatur.

§ 2. Consilio presbyterali praest Episcopus dioecesanus, quippe qui presbyterii sit caput.

Can. 2

Consilium presbyterale habeat propria statuta ab Episcopo probata, attentis normis ab Episcoporum Conferentia prolatis.

Can. 3

Ad designationem quod attinet sodalium Consilii presbyteralis:

1° Maior eorum pars libere eligantur a sacerdotibus ipsis ad normam canonum qui sequuntur necnon statutorum;

2° Aliqui, ad normam statutorum Consilii presbyteralis, possunt esse membra nata, qui scilicet ratione ipsius officii ipsis demandati, ad Consilium pertinent;

3° Episcopo dioecesano integrum est aliquos libere nominare.

Can. 4

§ 1. Ius electionis tum activum tum passivum ad Consilium presbyterale constituendum habent:

1° Omnes sacerdotes saeculares in dioecesi incardinati qui insimul in eadem domicilium aut quasi-domicilium habent;

2° Sacerdotes saeculares qui, licet in dioecesi non sint incardinati, in eadem domicilium aut quasi-domicilium habent et officium aliquod ecclesiasticum exercent;

3° Sacerdotes, saeculares et religiosi, qui ab Episcopo dioecesano depuntur ut in bonum dioecesis partem aliquam stabilem fori externi habeant.

§ 2. Quatenus statuta id provideant idem ius electionis conferri potest aliis sacerdotibus qui domicilium aut quasi-domicilium in dioecesi habent, aut officium aliquod quod in bonum dioecesis exercent.

Can. 5

Modus eligendi membra Consilii presbyteralis ad normam statutorum componi debet, ratione tamen habita diversarum categoriarum personarum ex variis scilicet regionibus dioecesis, ministeriis et aetatibus.

Can. 6

§ 1. Consilium presbyterale gaudet voto consultivo, salvis praescriptis iuris universalis.

§ 2. Audiendum est in causis quae a iure generali statutae sunt, atque in causis quae regimen generale dioecesis respiciunt de iudicio Episcopi.

Can. 7

§ 1. Secundum statuta Consilium presbyterale constituatur ad tempus, ita tamen ut integrum Consilium vel aliqua eius pars intra quinquennium renovetur.

§ 2. Vacante sede Consilium presbyterale permanet, sed intra sex menses a capta possessione suae sedis, novus Episcopus debet Consilium presbyterale noviter constituere, quo constituto prius a munere cessat.

Can. 8

Qui electus non amplius implet conditiones in can. 4 praevisas cessat a munere eiusque locum tenet qui vices eius supplet, secundum statutorum praescripta.

Can. 9

§ 1. Consilium presbyterale ab Episcopo convocetur saltem bis singulis annis.

§ 2. Praeterea convocetur si peculiaria dioecesis adjuncta id suadeant, sive de iudicio Episcopi sive de iudicio partis membrorum, non minoris quidem unius tertiae partis, a statutis determinatae.

Can. 10

Consilium presbyterale in tractandis causis quae ad regimen spectant operum pastoralium rationem habeat earum quae Consilium pastorale de operibus pastoralibus perpenderit atque proposuerit.

Adnexum III

DE CONSILIO PASTORALI

Can. 1

In singulis dioecesibus, quatenus pastoralis sollicitudo id suadeat, constituatur Consilium pastorale cuius est sub auctoritate Episcopi ea omnia

quae opera pastoralia spectant investigare, perpendere atque de eis conclusiones practicas proponere.

Can. 2

§ 1. Consilium pastorale constat personis quae in plena communione sint cum Ecclesia Catholica, repraesentantes tum clericos, tum religiosos, tum laicos, quaeque designantur modo ab Episcopo dioecesano determinato, secundum normas a Conferentia Episcoporum statutas.

§ 2. Maior pars membrorum sint christifideles laici.

§ 3. Personae quae deputantur ad Consilium pastorale ita seligantur ut universa populi Dei portio quae dioecesim constituit revera repraesentetur, ratione habita diversarum dioecesis regionum, condicionum socialium et professionum, necnon partis quam sive singuli sive cum aliis coniuncti in apostolatu habent, praesertim vero attenta praestantia et prudentia quibus gaudent.

Can. 3

§ 1. Consilium pastorale constituitur ad tempus, iuxta praescripta statutorum, quae ab Episcopo dantur attentis normis ab Episcoporum Conferentia statutis.

§ 2. Sede vacante Consilium pastorale extinguitur.

Can. 4

§ 1. Consilium pastorale iuxta necessitates apostolatus convocare eique praeesse ad solum Episcopum pertinet.

§ 2. Saltern in anno convocetur.

Can. 5

Ubi de iudicio Episcoporum provinciae vel regionis ecclesiasticae id expediatur, Consilium pastorale constitui potest pro universa provincia aut regione, sub auctoritate respectivae Episcoporum Conferentiae.

